



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 4. Vtrum Filius Dei debuerit assumere naturam humanam abstractam  
ab omnibus indiuiduis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

minis semper maneat per se existens, & non in alio; idque propter summam identitatem diuinitatis cum personalitatibus. Vnde vnus modus essendi seu existendi per se, v. g. quem diuinitas habet in Patre, non excludit ab eâ alium modum essendi per se, scilicet eum quem eadem diuinitas habet in filio; quia duo modi essendi per se, non repugnant; sicut repugnat esse per se, & esse in alio.

## DVBIUM II.

*Vtrum si vna humanitas esset in duobus locis, (sicut modo est humanitas Christi) possit in vno loco habere propriam personalitatem, & in alio esse in personâ Verbi?*

16  
Affirma-  
tur.

**R**espondetur hoc fieri posse; & tunc vna numero natura creata existeret in duabus personis; scilicet in persona propria, & aliena. Ratio est, quia tunc vna natura haberet quodammodo vim duarum, non habentium inter se necessariam dependentiam; vt dictum est in Tractatu de Eucharistia. Quare vt est in vno loco, posset esse per se, & non habere unionem cum Verbo; vt autem est in alio loco, habere unionem cum Verbo. Sicut idem Christi corpus, vt est in cælo, est coextensum spatio; vt autem est in Eucharistia, non est coextensum: Quod tamen ponit in ipso corpore duos modos intrinsecos omnino repugnantes respectu eiusdem existentis in eodem loco. Simili modo fieri potest per diuinam potentiam, vt vna eademque anima in vno loco sit in corpore; in alio loco viuat extra corpus, per se existens.

Dices, Hoc repugnat Concilij & Patribus supra citatis quæst. 2. art. 2. qui dicunt duas personas, alienam & propriam, non posse in vnam naturam substantialiter vniri. Respondeo Negando Assumptum; nam ipsi loquuntur de natura humana existente tantummodo in vno loco; loquuntur enim de hoc mysterio prout reipâ factum est.

## ARTICVLVS III.

*Vtrum persona diuina assumpsit hominem?*

17  
Negatur.

**R**espondetur, Non propriè dicitur persona diuina assumpsisse hominem.

Probatur Primò Authoritate Felicis Papæ & Martyris; quamuis hæc parum vrgeat, vt patet intuenti. Probatur Secundò Ratione. Quia homo propriè significat humanam naturâ in supposito; homo enim est idem quod habens humanitatem; sicut Deus est habens Deitatem: sed Verbum non assumpsit suppositum humanum: ergo non propriè dicitur quòd Verbum assumpsit hominem.

Verbum  
improprie  
dicitur  
assumpsisse  
hominem.

Notandum est, Patres & Concilia frequenter vti hac formula loquendi. *Verbum assumpsit hominem.* Conc. Toletan. VI. in confessione fidei: *Tota Trinitas operata est suscepti hominis formationem.* Toletan. XI. *Sola Filij persona, verum hominem sine peccato assumpsit.* D. Augustinus sepius vt lib. 13. de Trinit. cap. 17. & 18. De Agone Christiano cap. 11. Lib. 9. de ciuitate cap. 17. & alibi passim. Cyrillus in epistola ad Nestorium quæ habetur

in tertia Synodo. Denique in hymno Ecclesiastico: *Tu ad liberandum suscepturus hominem &c.* Verum, hæc & similia sic interpretamur, vt homo accipiatur pro naturâ humanâ; vel certè vt dicatur assumpsisse hominem, quia assumptione factum est, vt esset homo. Quare non rectè Ludouicus Vitæ in cap. 17. lib. 9. de Ciuitate reprehendit Doctores Scholasticos, quòd nolint hanc propositionem in proprietate sermonis admittere; nam reuerà iuxta proprietatem sermonis, est falsa.

Ludouicum  
Vitæ.

## ARTICVLVS IV.

*Vtrum Filius Dei debuerit assumere naturam humanâ abstractam ab omnibus indiuiduis?*

**R**espondetur Negatiuè. Probatur Primò, Ex Damasceno lib. 3. de fide cap. 11. Secundò, Quia natura abstracta ab omnibus indiuiduis, vel est idea Platonica; id est, natura per seipsam separatim à singularibus existens; & hæc non potest assumi; quia est figmentum; nulla enim est talis natura. Quod si per impossibile poneretur talis esse, non tamen esset conueniens eam assumi; tum, quia cum sit communis, existens substantiâ communi, non posset esse in personâ; nam contraheretur ad esse indiuiduum; tum, quia solùm haberet operationes cõmunes, quibus nec posset mereri, nec quidquam nobis prodesse: tum denique, quia non esset sensibilis; vnde non daret nobis exemplum &c. Vel hæc natura abstracta, est natura humana existens in mète diuina; id est, idea naturæ humanæ; & hæc non potest assumi; quia est ipse Deus, seu intellectio diuina. Vel denique est natura existens obiectiuè in intellectu humano: & hæc etiã assumi non potest; quia eius esse, solùm est intelligi. Tertio Probatur clariùs; Quia humanitas realis non existit nisi indiuiduata, & contracta ad aliquam indiuiduam humanitatem: ergo non potest assumi nisi vt singularis. Denique, si assumpsisset totam rationem communem humanitatis, debuisset illam assumere, vt est in omnibus hominibus; ac proinde assumpsisset omnes humanitates. Quare ridiculus est error cuiusdam Parisiensis, qui, vt fertur, dicebat Christum assumpsisse humanitatem in communi, vt fructus Incarnationis esset communis; nam hoc est impossibile. Fructus autem communis esse potest etiam si ab vno promanet; hæc enim non requiritur communitas prædicationis, sed causalitatis.

18  
Negatur.Error  
cuiusdam  
Parisien-  
sis.

## ARTICVLVS V.

*Vtrum Filius Dei debuerit assumere naturam humanam in omnibus indiuiduis?*

**R**espondetur, Hoc nullo modo fuisse consentaneum. Probatur Primò authoritate Damasceni supra lib. 3. cap. 11. Secundò, Quia tunc omnes homines essent tantummodo vna persona, atque ad eò vnus homo: quod est contra naturalem conditionem speciei humanæ, quæ in singulis

19  
Negatur.